

DISSERTATIO THEOLOGICA,  
SISTENS  
CONSPECTUM SCIENTIÆ  
PASTORALIS,  
IN USUM SEMINARIJ THEOLOGICI.

---

CUJUS PARTEM OCTAVAM,

APPROBANTE MAX. VENER. FAC. THEOL. ABOËNSI,

MODERANTE

JACOBO BONSDORFF,

S. S. Theol. Profess. & Licent.

*publico examini subjecit*

THOMAS HENR. SALLMENIUS,

V. D. Minister.

In Atrio Cancellariæ d. XVIII NOV. MDCCCIX.

h. p. m. f.

---

ABOË, Typis Frenckellianis.



SCIENTIÆ PASTORALIS  
 PARS SECUNDA.  
 CATECHETICA.

---

CAP. I.

*De Catechetica universa.*

§. 1. Præticam Religionis Christianæ, ad vitam feliciter transigendam accommodandæ institutionem quibuslibet quidem Christianis civibus, parentibus, præceptoribusque incumbere, speciatim tamen Ecclesiæ doctoribus, tam publico quam privato nomine, devolutam esse, omnibus patet. Ut enim universum pædagogicum munus male administraretur, nisi qui ex instituto docerent pueros rudioresque adessent, ita male esset cum Ecclesia Christiana actum, nisi partem hujus pædagogicæ Scientiæ, quæ religionem ac mores Christianos spectat, ministri ejusdem tractarent fideliter, ac mentibus instillarent. Neque id tantum in concionibus sacris, verum etiam catechisationibus velut ab origine & ordine suo fieri debet ac solet. Prædicatio nempe verbi Divini, utpote maturioribus

Q

rioribus præsertim consecrata auditoribus, continuoque orationis fluxu exantlata, fundamentis in juvenili ætate jamjam politis ut plurimum innititur, quare etiam, si ratio temporis habenda est, catechisatio omnis antecedit homileticam artem & praxin, a qua tam quoad docendi genus, quam formam & stilum, differt.

§. 2. *Catechetica* est Scientia, optimam tradens rationem, religionis christianæ essentialia capita, imperitis ac rudioribus, orali institutione & commercio instillandi & ad vitæ usum applicandi. Ut vero hæc rite tractetur Scientia, necesse est non modo materiem ejus ac scopum, formam, partes ac genera varia, verum etiam fontes & adimicula, quibus utendum sit, sollicitius indagare; dehinc vero juvabit præcepta tradere sive methodum, in religiosa omni institutione necessariam; Quibus rebus accedat oportet succincta librorum catecheticorum commendatio & historia. Naturam ergo essentialiamque hujus artis imprimis in methodo, religionem practicam ab elementis inde suis usque ad perfectiorem quendam gradum rudioribus instillandi, sitam esse, sponte invenimus. Fuere autem v. c. GRÄFFE in *Katech. Lebrb.* qui ad ipsam definitionem & naturam Catechetice pertinere postularent, ut ratio docendi semper dialogistica esset; verum enim vero, licet optimus plerumque  
 luc-

successus ex dialogis derivetur, certum tamen manet, catechisationem omnem imitari familiaris colloquii indolem, quod nec ad philosophicum sive oratorium rigorem exigi, neque non interrupto aut vario loquendi modo institui soleat. Quemadmodum enim in vita hominum quotidiana familiaris ejus usus tam sermone mutuo & colloquio, quam præceptis, exemplis & narratiunculis continetur, ita quoque religiosi in rebus ac conventibus catechetici utrumque valebit genus. Bene KÖCHER definit Theologiam catechetica, utpote eam Theologiam (rectius Religionem) tradendi rationem, quæ rudioribus & imperitis maxime convenit, atque præcipua scituque summe necessaria doctrinæ christianæ capita, cum theoretica tum practica, per quæstiones & responsiones ut plurimum exponit.

§. 3. Differt vero *Catechetica* a *Catechisatione* & *Catechesi* s. catechismo, cum quibus confundi interdum solet; *catechesis* enim, licet proprie eadem sit ac *catechisatio*, i. e. institutio, metonymico tamen sensu adhiberi sivevit de religione s. Theologia populari, i. e. complexu omnium dogmatum religionis christianæ simpliciori hominum captui familiarium; *Catechetica* vero, utpote scientia, tradit veram variamque methodum catechisandi i. e. in ipsis simplicissimis ac maxime salutaribus veritatibus instituendi; atque ne-

mo non agnoscat, popularem h. e. plerisque ex populo christiano obviam, familiarem & essentialem theoriam religionis, in multis definitam esse, omnibusque fundamentalem ac absolutam, (quia christianum nomen ne locum quidem sine positivis de Christo dogmatibus cet. obtinet), in aliis vero conditionatam, pro ratione captus juniorum ac rudiorum propinendam. Unde sequitur, magnam requiri prudentiam & diligentiam in expositione rerum variis auditoribus accommodanda; usus vero ipse optimam catechisandi edocebit rationem, quemadmodum theoria regulas præscribit in usu observandas, indeque defumas.

§. 4. Ortum autem est nomen catecheleos, cæt. ex probatissimorum auctorum Græcorum (LUCIANI, PLUTARCHI, SEXT. EMPIRI) usu, quem Novi Test. Scriptores una cum Patribus Ecclesiasticis adoptarunt, eo tantum discrimine, quod cum *κατηχεῖν* (propr. *levem sonum edere, aures alicujus personare*) *viva voce instituere*, generalius de omni institutione & doctrina usurparetur a profanis, ut quoque nonnunquam a Sacris Scripturis e. c. Act. 21: 21. 24., specialius tamen ab his ad religionem & institutionem Christianam restringeretur. Act. 18: 25. 26. Rom. 2: 18. 1 Cor. 14: 19. Hinc *κατηχηματευοι* dicebantur, qui primis in elementis christiænæ doctrinæ instituendi erant; baptismali autem

autem ritu jam initiati, *Quaridages* appellati. Nostris jam, inde a Luthero, temporibus *catechesis* omnem elementarem & rudioribus quibuscunque, baptizatis dudum, christianis impertitam doctrinam designat; *catechetae* sunt, qui in elementis religionis instituunt, sive sint doctores Ecclesiae sive minus.

§. 5. *Obj. Etum* s. *Materia* Catecheticae non potest aliud salutare, quam doctrina christiana popularis, rationis & Scripturae iunixa argumentis, atque ad usum revocanda: Oppido ergo patet, 1) non modo religionis naturalis primaria capita, verum etiam positivae illius, per Christum ejusque Apostolos promulgata dogmata essentialia, ut quoque 2) historica tam de Christo & ejus mirabilibus factis factisque, salutem nostram & confirmantibus & constituentibus, quam de religione in genere momenta h. e. brevem historiam religionis Sacrorumque librorum praecipuorum succinctam notitiam, huc pertinere. Patet porro, practicam omnem morum Christianorum theoriam intime connectendam esse cum historicis & positivis veritatibus, non solum propterea, quod omnis virtus ac morum probitas ex celsissima idea Dei & fide in Christum ortam ducere debeat, sed etiam quia ex Divina Christi auctoritate omnis nostra vita salusque pendeat. Non enim perinde est, quomodo de Christo, Sospitatore summo, cogitemus & sentiamus,

tiamus, neque non interest scire modum, quo salutem, id vero est, gratiam Divinam & conscientiae pacem adipisci possimus. Fundamentum igitur omnis religionis nostrae & institutionis popularis a Christo, quem utpote Dei filium & cum Deo conjunctissimum fide amplecti convenit, petatur necesse est. (Legi meretur KÖPPEN lib. *Wer ist ein Christ*, & STÄUDLIN *Beyträge zur Philosophie u Geschichte d. Relig.* 1. Th.). Quam fidem qui abnegant, ablineant penitus a catechetico munere, quod minime Deisticis consecrandum est principiis. Merito ergo taxamus nonnullos catecheticae praeceptores novissimos, qui arte quavis & subdola & audaciori, palmaria Christianae religionis dogmata evertere & ab institutione rudiorum penitus remove, quia positiva scilicet sunt & miraculis confirmata, satagunt, solam naturalem qualemcunque religionis umbram catechumenis relinquentes. (Ejus generis sunt DAUB *Lehrbuch d. Catechet.* 4. Theil. GEBHARD *angew. Sittenlehre*, cæt.) Taxandi quoque sunt, quotquot catecheticis suis praeceptis infinita commenta philosophica, inanes otiosasque quaestiones de rebus, ad religionem non pertinentibus, diætetis puta, physicis aliisque, immo quoque inutiles & captui plebis parum idoneas adjuunt expositiones. (Qualia sunt multa in GRÄFFE *Lehrb. d. Katechet.* KAMENZ *Katech. Handbuch*). Neque non



non animadvertendum est in morem nonnullorum, multa prolixius & ad tædium usque de præceptis moralibus differendi, reliqua vero, ad fidem in Deum & Christum ejusque salutiferam mortem concernentia, leviter tangendi. Sunt autem moralia religionis nostræ momenta per se satis perspicua, nec longiori egent demonstratione, quia in hominum sensu & experientia sunt fundata; obligandi vero omnem vim ex Divina & speciatim Christi sortiuntur auctoritate. Hinc sequitur, Catechetica institutionem omnem oriundam esse a notionibus de Deo, Christo & salutis præscripto ordine, qui quidem præsupponit notitiam hominis, peccati labe infecti. Quibus rebus cognitis, moralis demum hominis perfectio s. sanctitas Christiana commode proponi poterit. Ethica ergo universa dogmaticis essentialibus veritatibus superstruatur necesse est.

§. 5. De summa *utilitate & necessitate* religionis popularis, quam Christiani profiteri atque in vitæ suæ normam convertere debent, nemo sobrius dubitavit. Quæritur vero jam de ipsa catechisatione & Scientia catechetica, utrum ea tantæ sit difficultatis, tantique momenti, ut sine varia præceptione non possit una cum vera religione subsistere & promoveri. Atque certum est, religionis doctorem, solida instructum scientia dogmatica & Biblica s. Exagetica, posse ex usu frequenti

quenti atque aliorum exemplo ediscere, quomodo catechumenis suis salutarem proponat doctrinam; Interim tamen quum pauci admodum sint harum rerum capaces, & longo temporis intervallo opus sit, ad veram methodum catechifandi plenius exhauriendam, multum omnino refert ad hanc adsequendam metam, si brevis & adæquata Scientiæ Catecheticiæ præstruatur idea. Cujus necessitas, primo, Catechetarum ratione habita, patet inde, quod stimulos ipsis addat verius ac subtilius in ipsam dogmatum naturam & veritatem inquirendi; 2) Attentos reddat ad præjudicia vulgi feliciori cum successu debellanda, vitiaque corrigenda; 3) Immensam utilitatem unæum animi delectatione ex religionis veræ progressu, a catecheticiis haud leviter pendente exercitiis, pariat; Quin etiam 4) continua sit veluti schola vires quasvis animi & dicendi artem exercendi; Oratores quippe sacri ex catechetica praxi inprimis concionandi facultatem indies perpolient.

Quomodo porro crebra catechifatio & institutio in veritatibus religionis nostræ proficit rudioribus & plebi universæ, tam ex juniorum quam adultiorum classe, neminem latere poterit, qui, quanta sit plebis impotentia proprio Marte sibi suisque notitias ad salutem sufficientes comparandi, quantaque plerorumque ex plebecula sit ignorantia, sordida & negligentia, sicubi sibi metipsis relin-

linquantur erudiendis, quot demum vulgi errores, quotque infinita obstacula in religionis praxi semet sistant, secum perpenderit. Longa dudum experientia evictum dedit, optimam Christianis civibus in religione & moralitate vera imbuenda viam sollicita pandi institutione. Hac scilicet vires ingenii animique explicantur sensim; hac quoque mores performantur & stabiliuntur. Etenim multum licet concionibus exaudiendis proficere possint homines, rudiores tamen ac pueri non item proficient; Immo sine crebra repetitione elementarium veritatum, ac exercitatione propria, retardaretur progressus adultiorum. Cæterum praxis ipsa pietatis hoc adjumento carere nequit.

---

CAP. II.

*De Catechisationum scopo.*

§. 1. Quamquam Pastoralis muneris partes in universum ad institutionem non minus, quam emendationem Ecclesiæ, tendere antea demonstravimus, specialia tamen nonnulla momenta in hoc genere sunt delibanda, quatenus catecheticum spectant munus. In confesso scilicet est, Oratoribus Sacris non adeo amplam & ubique aptam in concionibus patere instituendi, commonendi & corrigendi

rigendi viam ut in catechetico studio, quod ex instituto ad rudiores dirigitur illustrandos atque formandos. Immo certissimus usus edocuit, frustra haberi ut plurimum conciones, ubi catechetica doctrina neglecta antea fuerit. Surdis quasi narratur fabula, & imperiis sistitur res, quavis attentione dignissima. Cæterum tam diversi sunt auditores in cultu publico sacro celebrando, ut sine justa præparatione non omnes possint verum usum inde percipere. Doctores igitur religionis pro scopo habebunt, elementaria ponere doctrinæ & morum fundamenta.

§. 2. Primarius isque latissimus scopus Catechetiæ est plebem *instituire*. Quocirca considerari debet tum facultatum animi ratio, tum vera earundem ad notitias comparandas applicatio. Excolere enim intellectum, rationem, memoriam & phantasiam, ut veritatem amplecti mens possit, summa jubet necessitas. Est vero tanta ingeniorum, præsertim ex plebe, diversitas, tarditas & negligentia, ut operæ pretium reputetur summum, vires rudiorum exercere & explicare. Teneat igitur minister Ecclesiæ, injunctum sibi esse, non modo sollicita inspicere cura, quomodo domestica per parentes aliosque administraretur institutio pædagogica, verum etiam sedulam suam, quantum possit, eandem ad metam conferre industriam. Prima quidem elementorum, in litteris & mecha-

chanica lectione positorum, arte jam supersedemus exponenda, visuri tantum, qua via mentales facultates juniorum rudiorumque sint ad religionem imbuendam excolendæ. *Memoria* tere omnium prima est, sine qua intelligendi vis subsistere nequit; vicem quippe sustinet thesauri cujusdam, in quem perceptas suas ideas reponere indeque deponere suosque in usus convertere mens possit. Mature autem hanc memoriam ad religionis salutiferas ideas amplectendas componi debere, prudenter agnovit cœtus Christianorum universus. Temeraria quippe sunt nonnullorum conamina, puerilem memoriam a religione arcendi, quia sublimia & abstracta ejus dogmata captum superent tenerioris ætatis. Esto vero, pauca omnino esse momenta religionis theoriæ, quæ juniorum & rudiorum possint mox subjici judicio; annon utile tamen erit, memoriter ea tenere, donec intelligendi sensim accrescat facultas; modo caveatur, ne multitudine rerum & quidem abstractarum oneretur mens? An Biblica historia simplicior, una cum formulis symbolorum, precum & præceptorum Christi generalium e. s. p. intellectum penitus subterfugit puerilem? Nullane Dei, legis Divinæ, Christi, amoris in Christum ingenerari poterit idea, nisi quæ subtilem sapiat philosophiam? Immo vero omnis nostra idea Dei symbolica est; cur ergo in infantibus eam

dam.

damnamus? Memoria certe rudiorum non adeo vacua sive otiosa est, ut vulgo habetur; modo justis circumscribatur limitibus, & cogitandi suffulciatur arte. Summo ergo jure, sed haud sine quodam delectu, libros catecheticos ad acuendam memoriam commendamus. Neque negligat Catecheta gravia quaedam dicta biblica, effata Christi, cæteraque discipulorum suorum mandare memoriæ.

*Intelligendi* autem facultas universalis, qua non modo sensibus obvias, verum etiam morales res, earumque formas, naturam, nexum, causas, effectus, similitudines discriminaque percipere & dijudicare valet animus, ea imprimis est, quam inde a teneris exercere, explicare atque ad religionem attemperare debet christianus doctor. Mittamus subtiliorem analysin intellectus, judicii, acuminis, ingenii & rationis, logicamque omnem artem, utpote rudioribus inexplicabilem, plane ac nunquam attingendam. Satis est, attentos eos reddidisse ad mentis suæ non solum simplicem operationem, ideis quibuscunque percipiendis occupatam, verum quoque judicandi & ratiocinandi artem, qua res varias inter se conferre, ab effectu ad causam & vice versa recta via transire possint. Uberrimam huic facultati alendæ materiem dabit popularis religio & catechisatio tempestiva. Qui ipse oculis suis aut aliis sensibus intuitivam sæpius comparare  
|pot-

potest ideam rerum externarum & causarum, ultro quoque notionem Dei, imperfectam licet, formare sibi valebit; qui testimoniis aliorum fidere sincerissimis non recusaverit, is demum, si vel maxime incultus fuerit, auctoritati Christi Divinae fidem non denegabit; & quænam adferri potest essentialis veritas doctrinae christianæ, de cujus certitudine & salutifera natura quodammodo persuaderi non possit simplicissimus homo? Proinde ratum habeat sibi que injunctum doctor religiosus, dogmata ita tractare, ut cedant in juventutis emolumentum. Quo magis enim intellectum illius acuere studeat, eo plus valebit; immo lætus animadvertet, sponte quali rudiorum illustrari mentem atque a simplicioribus & antea cognitis rebus ad sublimiores sensum transire. Morales vero veritates imprimis sunt intellectui hominum communi familiares, quas si morosius quis vellet verborum exponere ambagibus, idem ageret ac lucem meridianam lucere multis probaturus. Nec sensui ac usui plebis communi ita diffidendum est, ut res tristissimas v. c. de tempore, spatio, cet. nimis demonstramus. Nisi vero institutio omnis accommodata sit ingenio & indigentis audientium, attentio peribit. Quomodo autem *Attendendi & reflectendi* facultas alenda sit, paucis quoque videamus. Quemadmodum in rebus naturalibus & physicis, ita quoque in  
 reli-

religiosis ac moralibus, ab ipso objecto ejusque natura, dignitate, novitate, utilitate, necessitate & harmonia petimus causam vera videndi. Quo v. iora, utiliora ac evidentiora rerum fuerint momenta, eo plus ad attendendum excitant. Accedat tamen huc forma ipsa proponendi, jucunditas sermonis, brevitatis, familiaritas, patientia; atque ante omnia referat doctor animos auditorum ad sublimem Divinae praesentiae sensum, quem precibus suis non minus, quam continuis sub vitae eventibus, dictis factisque recolere decet. Nec superfedeamus in instituendo, exemplis, similitudinibus, narrationibus, allegoriis (ad morem Servatoris), repetitionibus, exhortationibus encomiisque uti; his quippe adjunctis rudiorum mentibus studium veritatis, pariter ac voluptas discendi, promptaque exaudiendi & ad se ipsos reflectendi facultas ingeneratur. *Phantasiam* demum, sive imaginandi facultatem, non esse negligendam, sed tanto magis excolendam riteque adhibendam, quanto fataliora sint praesudicia & vitia, ex indomito phantasiae lusu oriunda, clare admodum patet. Plus una vice errant & peccant qui rerum umbris se totos tradunt; Inspirationes fingunt, magicas laudant artes ac daemones ludibria. Atque quam certum est, mysticam sive fanaticam religionis speciem, imaginationis quendam esse motum, ita quoque indubia docet experi-



perientia, non posse eandem refelli, subjugari, corrigi, nisi iustis suis contineatur cancellis phantasia, quod certe negotium impræmis pendet a solida prudentique catechisandi modo. Sciat ergo religionis doctor 1) sollicite vera a falsis, imagines troposque a rebus ipsis, sensualia & physica a moralibus discernere; 2) In ipsis similitudinibus adhibendis caveat, ne minus notas afferat, aut applicare easdem negligat; 3) Rarius in institutione prima utatur tropicis locutionibus, iisque ne inhæreat sine iusta explicatione; 4) Naturam ipsam sensualem, ex qua imagines vulgo petuntur, quoad fieri possit, in transcurso aut animi relaxandi causa exponat; 5) Semper attentus sit ad responsiones rudiorum, si vitio quodam fanatico laboraverint.

§. 3. Ad *Emendationem* animi ac morum, omnis quoque conspirare debet catechisantium opera. Huc pertinet tum vivida Divinarum legum, perfectionum & beneficiorum representatio, tum practica doctrinæ ad animi internum statum, moresque applicatio, quæ nunquam, siue publice siue privatim doceamus, intermitti debet. Hæc vita est religionis nostræ, ut totum afficiat, gubernet, exhilaret, temperet, perficiatque animum. Quot ergo fuerint virtutis incitamenta, (motiva), quot rerum momenta efficacissima, tot etiam sub catechisatione ipsa, temporis ta-  
men

men habita ratione, commendari & adferri debent. Præstantior enim commoneudi, excitandi atque de rudiorum immo quoque peritiorum salute bene merendi vix dabitur ministro Sacro opportunitas, modo officio suo universo semper attente invigilaverit. Longum vero iter per præcepta, breve & efficax per exempla. Conf. Part. Homilet. Cap. 10. 11.

---

CAP. III.

*De Catechisatione varia.*

§. 1. Catecheticum omne studium, cui invigilare debent ministri Sacri, triplici versari in negotio, *instituenti* scilicet, *examinandi*, dogmataque religionis ad juventutis usum *applicandi*, evidentem patere arbitramur. Otiosa est institutio sine examine, examen & scrutinium sine prævia institutione inutile, utrumque vero inane, nisi accedat practicus usus. *Docendi* officium non tantum nuda enumeratione & definitione rerum absolvitur, verum etiam explicationem, demonstrationem ac confirmationem, una cum contrariorum errorum confutatione, complectitur. Quid in quoque hoc officio observetur, dudum in Homilet. parte Cap. 9<sup>o</sup> enodavimus;

spe-

Speciales tantum hic adjungentes regulas: 1) Nunquam omittat catecheta definitas dare rerum notiones, & si forte vitio quodam laboraverit definitio in libro catechetico adoptata, aliam simpliciorē substituatur prudens. 2) Uberior verborum sive rerum expositio analytico fieri debet modo, ut nexum omnium idearum perspicere, atque ad prima sua principia (axiomata quasi) reducere possint rudiores. A sensibus quippe oriuntur primæ idæ, immo certitudinem inde fortuntur; igitur ad sensus quoque amant referri compositæ omnes, abstractæ & universales notiones, ut intuitivæ evadant, quod fit per inductionem & associationem; neque tamen ab abstractis, in prima institutione, sed a concretis sensualibusque, sive per externam sive internam experientiam comprobatis, rebus ordiendum est. Syntheticam hanc appellamus methodum. 3) Quia veritates religionis naturalis & positivæ diverso suo nituntur principio, confirmatio omnis, quæ ulterior est expositio dogmatum, inter se connexorum, ad utrumque genus referatur necesse est. Rationis argumenta fortissima sunt, quæ ab experientia petuntur; Revelationis autem testimonia, utpote Divina auctoritate innixa, ex ipsa sua harmonia cum ratione, sublimitate, & historica fide certo cognoscuntur. Rudioribus vero hanc viam ad certam perveniendi persuasionem præ-

R

clu-

cludere velle, inimicum merito reputetur. Proinde catechisantibus sanctissimum incumbit officium, ad hujus Divini testimonii auctoritatisque longe celsissimæ fidem, Christumque inprimis, Divinæ voluntatis interpretem infallibilem, religiosas referendi veritates.

*Examinandi* negotium alteram efficit catechisationis paginam, nullo modo negligendam. Mens enim bene instituta, animi quodam instinctu, amat ea in medium proferre atque cum aliis communicare, quæ præmeditata fuerit. Quare ut occasio detur, non modo cognitæ res altius memoriæ mandandi, verum etiam eisdem novis confirmandi argumentis, thesaurosque cognitionis locupletandi, doctoris Evangelici interest, fidele sub examen omnia revocare. Quæstionibus nimirum excitatur attentio, elicitur veritas, & adjuvatur iudicium apud rudiores non minus quam cultiores; responsis iterum explicantur animi facultates omnes. Artem igitur hanc dialogisticam edocebit locus de methodo Catechisandi. Exempla catechisationum dederunt auctores ad Cap. 7. nominati. *Applicationis* demum universæ necessitatem quisvis facile a scopo ipso catechisationum perspiciet; Quare graviter peccant catechetæ, qui memoriæ & intellectus tantum habent rationem, parum de practico religionis exercitio confirmando solliciti.

§. 2. Hactenus de partibus catechisationis. Jam vero diversa ejus genera, respectu materiæ, consideranda veniunt. Primum & vulgatissimum est, quod in ipsa religione christiana populariter ediscenda occupatur, atque propterea speciali insignitur *catechisationis dogmaticæ* nomine. Quia autem multa sunt historica, multaque Biblica loca, in catechesin adoptata, quæ maturiorem s. perfectiorem institutionem spectant, historiam ergo religionis Scripturæque S. lectionem summo jure rudioribus quoque commendarunt Protestantici doctores. Unde catechisationis genus *Historicum & Biblicum* ortum est. Per se quidem patet, rarius contingere, ut succincta universæ plebi tradatur cognitio de religionis & Ecclesiæ fatis cæt (nam quod sparsim & occasionaliter in concionibus ex Scriptura & historia S. commemorari solet, non sufficit ad adæquatam notitiam;) Interim tamen in privatis scholis catecheticis utrumque hoc genus seorsim tractari debere, nemo summam ejus utilitatem expendens asserere unquam dubitabit.

*Catechisatio* igitur *historica* tum justam factorum Ecclesiæ inde ab incunabulis humani generis enarrationem, cum pragmaticam causarum & eventuum maxime memorabilium explicationem, tum quoque explorationem juniorum & practicum usum complectitur. Historia scilicet sacra infinitam ex-

hibet materiem Deum cognoscendi colendi-  
que, materiem exemplorum ad fidem & vir-  
tutem excitantium, quin etiam delectationem  
summam, solatium, spem cæteraque; exhibet  
propriorem notitiam & velut speculum Divi-  
næ revelationis, providentiæ, amoris, nomi-  
natim per Christum promulgati cujus mira-  
bilia fata factaque non possunt non jucun-  
dissimo animum perfundere pietatis sensu.  
Ne unquam igitur intermittant catechetæ fi-  
delem sistere ideam sanctissimæ vitæ, quam  
gesit servator, mortisque quam ex Divino  
decreto lubentissime in nostram salutem subi-  
it. Quomodo reliquam historiam sacram  
in usum juventutis pertractare debeant docto-  
res, praxis ipsa docebit.

*Catechisatio Biblica* brevem continet  
expositionem librorum Vet. & Novi fœde-  
ris, qui juniorum usui maxime inserviunt.  
In scholis prælegere partem Scripturæ Sacræ  
laudatissimo consilio sanxerunt majores no-  
stri; Quin tamen delectus fiat pro rudiorum  
captu, adeo ut specialissimi Judaicæ gentis  
annales v. c. Exod. Deuter. Josuæ, Judic.  
Reg. Chron. libri, ad proveciorem differan-  
tur ætatem, cætera vero moralia scripta  
perlegantur, explicentur & applicentur, ne-  
mo tantopere dubitet aut obvertat. Sciat  
vero catecheta pericopam selectam illustrare,  
quæstionibus enodare atque quid suis tem-  
poribus privum fuerit, quid omnibus com-  
mune

mune indagare, nec tamen hermeneuticam quandam ostendet eruditionem, ab imperitis auditoribus difficulter dimetiendam. Usus practicus Biblicorum scriptorum a nullo ignorabitur.

Addunt nonnulli e. c. LAPPENBERG, SCHMID, catechisationis genus *Naturale*, ex historia naturali corporum, animalium & phœnomenorum desumptum. Neque non laudanda est hæc institutio, quatenus ad pædagogicum generalem pertineat circulum scientiarum, minime tamen ut pars quædam religiosæ scientiæ consideretur oportet. Nam quod exempla, similitudines, & variam componendi ansam sumere possint catechisantes ex rerum sensibilibus natura, longe aliud est.

De Examinandi more, super concionibus quibuscunque sacris, non attinet multa præmonere. Cætera catechisationum genera, ratione temporis, loci, auditorum habita, in Cap. sequ. proferentur.

---

#### CAP. IV.

##### *De variis catechisandi occasionibus.*

§. 1. Ut nulla datur ætas, cui religio Diva non sit proficua & assignata, ita per omnia vitæ atque ætatis stadia quasi decurrit Christiana

stiana institutio. Mox enim ab infantia, quum loqui & res a se invicem discernere, discretas comparare ac dijudicare, tenuiter quamquam, didicerint infantes, ad Dei & Christi cognitionem sunt manuducendi; cujus educationis moralis curam parentes quidem & catechetæ sollicitè agent; neque tamen negligant doctores Ecclesiæ, monitis suis fidelibus, ipsis adistere. Insequentem vero juvenilem ætatem potissimum Pastoralis curæ committendam voluit Ecclesia; siquidem legem jam inde a longo tempore tulit, qua juvenes ex utroque sexu circa ætatis XV. annum, antequam ad Sacram cœnam admittantur, catecheticis interesse adstringuntur exercitiis; Quem longe utilissimum morem tamdiu servabit factum tectumque discipulorum docentiumque diligentia, quamdiu religioni ipsi suis constet honos. Juvenilem subsequitur ætatem virilis & senilis, in qua utraque tantum abest, ut superflua sit catechisandi opera, ut potius sine hac summum caperet detrimentum christiana Ecclesia, atque vel florentissimo ex statu sensim in crassam prolaberetur barbariem cultissima gens. Institutionem ergo primam serie quadam ætatis continuata promovebit examen, quod non modo privatim cum maritandis, ægrostantibus cæt. verum etiam publice in catecheticis concionibus ac confessionibus Sacris (ante Sacram cœnam) instituitur. Fortunatos utique



utique prædicare licet christiani cætus cives, quibus nulla deest salutaris cognitionis & emendationis occasio. Neque rudiorum tantum causa habentur tot fidelissimæ præceptiones, verum quoque maturiorum confirmationem in fide & constanti pietatis exercitio spectat frequens hoc catechisandi studium.

§. 2. Quum ergo primo præcipiendum sit, quomodo prima puerorum in religione institutio peragi debeat atque curari, nemo non intelligit, parentes quidem ipsos per naturam & religionem obstrictos esse, liberis suis prima tradere doctrinæ & morum principia; atque quam Israelitis jam ea lex sapienter lata fuerit Exod. 12: 26. — Deut. 2: 6, 7. ut liberos suos in lege Divina & cultu Dei instituere, tanto magis doctoris Evangelici officium est, parentes frequenter ad sedulam excitare educationem, atque ut Sabbathi imprimis diebus cum liberis suis exercitia didactica & religiola habeant, pie commone. (conf. CHRYSOST. *Homil.* ad HÆREM. *Past.* p. 373.) Quia vero tardiores multi in hoc perolvendo deprehendantur negotio, optime subvenitur his gravissimis defectibus opera catechetarum, quorum quasi in manus traduntur liberi; Extra ordinem possunt senes quidam prudentiores, otii sui senilis cum fructu terendi causa, huic invigilare consilio; Ordinaria autem via cantores & æditui, quorum stipendia sæpius lauta sunt, hanc

com.

commode administrabunt palestram, ut quoque multis in Ecclesiis catechetas jamjam, eundem laudatissimum in finem, constitutos cernimus. Disputari tantum de methodo solet, utrum scilicet pædagogi ejusmodi operam suam, definito quodam modo (perpetuam per scholam,) sive ambulatorio per vias potiores transeunte, commodabunt. Nulla vero constans norma omnibus locis æque conveniens præscribi potest; Quare Pastorum & inspectorum Ecclesiæ potius committatur vigilantix, videre quid cuique loco optime conveniat.

§. 3. *Privatam* porro institutionem juvenili ætati exhibendam doctoribus sacris commendemus oportet. Quemadmodum in primitiva Ecclesia catechumeni ante baptismum informabantur, speciminaque probatorum morum dare obstringebantur, ita hodiernus fert usus, ut qui adultiorem jam attigerint ætatem, ad Sacram cœnam & solennem Religionis professionem juxta præparentur institutione. Prima hæc est & ultima systematico ordine absolvenda informatio, Ubi scilicet tenerrimi animi qualicumque jam imbuti fuerint rerum Divinarum notitia, gravem huic addit cumulum diligens Pastorum opera; cujus fructum & succesum nemo satis laudare poterit. Teneris enim & in depravatione morum nondum obfirmatis animis optime quidem immittuntur semina melioris

lioris cognitionis & virtutis; Immo festiva est hæc instituendi ratio, jucunda, libera, amica. Animadvertant vero doctores: 1) Ne totam provinciam in nuda & mechanica recitatione dogmatum ponant, sed ad intellectum & animum imprimis collustrandum & emendandum bona sua officia conferant; 2) Antequam quæstiones sistant, & responsiones excipiant catechumenorum, preces atque exhortationem quandam instituant, dein vero brevem adferant universæ materiæ præceptionem, ut quid in recessu habeant quæstiones populares, bene intelligant rudiores. 3) Post habitam prælectionem specialis cujusdam dogmatis, & libri catechetici explicationem, pedem promoveant ad quæstiones, quibus sæpius inspergere juvabit admonitiones, exempla aliaque motiva; 4) Sub observata diversitate ingeniorum, rudiores ac negligentiores a cæteris caute distingvantur, atque seorsim examinentur. 5) Caveamus, ne antea ex schola catechetica dimittamus juvenes imperitiores, quam spes melioris frugis arripserit. 6) Hinc quoque sequitur, non una aut alia vice adeundam esse hanc scholam, nec nimis properandum in dogmatibus multis variisque exponendis, sed lentius progrediendum, donec præcipuas veritates juniorum mentibus frequenti & repetito usu insillaverimus; lectio scilicet lecta placet. 7) Nullam demum partium aut personarum

narum, nobiliorum speciatim, habeamus rationem, cum contentu cæterorum conjunctam.

Privatim quoque institui ac examinari solent qui connubia ineunt, aut ægrotanti sub statu Sacram celebrare cupiunt cœnam, aut juramento fidem in foro civili confirmabunt, aut quoque aliis temporibus convocantur. Fidelium enim ministrorum est, nullam prætermittere laboriosissimi sui muneris partem aut eam remissius tractare. Propterea etiam jure commendantur scholæ sic dictæ Sabbaticæ (*Søndags skolor*), præsertim in urbibus majoribus nuper institutæ, in quibus juniores possunt commode elementa capere religionis, & de hisdem repetendis sæpius admoneri. In his vero omnibus *sedulus* sit doctor Ecclesiæ, ne otii fruendi causa intermittat inquirere in auditorum suorum cogitandi & vivendi modum; *prudens*, ut specialissima ac temporum cuique consentanea religionis capita examinet; *patheticus* in moribus Christianorum fortiter confirmandis; *imperterritus* in castigandis vitiis; nec non *amicus* in commonendo, consolando & erigendo. Quid demum hominibus in ultimo vitæ discrimine s. agone mortis constitutis præcipiendum sit, deinceps in Part. 4 disceremus. Præmittimus tantum nonnullas cautelas; 1) Ne fusius doctrinæ universæ theoriæ piis & christiana virtute notatis exponant ministri Ecclesiæ aut ordinem salutis diffi-

difficilem myſtico quodam reddant dicendi genere; Satis enim eſt, brevem Servatoris de pœnitentia & fide obſervare præceptionem. 2) Impiorum autem & ſceliſſimorum hominum animi ſunt omni ſollicitudine informandi, & a ſecuritate ſua carnali avocandi; Idem valet de delinquentibus, quorum malefacta sæpius ortum ſuum ex ſtupida quadam & craſſa ignorantia, maleque a puero jam inbuta animi indole ducunt, quare multa egent inſtitutione, ſtatui eorum accommodanda.

§. 4. Quamquam vero eſſentialis ſit & maxime fructuoſa primitiva illa & privata, quæ ordinæ quodam, continuoque cum reſpectu ad audientes habetur, catechiſatio, publicam tamen minime negligendam cenſuerunt omnes, eam potiſſimum ob cauſam, quod fieri nequeat, ut omnes ſolidam in juventute obtinere, aut ſi obtinuerint, memoria retinere ſine aliquo adminiculo poſſint cognitionem. Optimum ergo præbet adminiculum 1) publica in *concionibus*, ſic dictis *Catechetiſis*, quotannis habenda expoſitio popularis religionis, catchiſmo quodam comprehenſæ. Quocirca duplex ſiſtitur negotium atque conſilium: *alterum* in explicando, docendo & confirmando, *alterum* in examinandis Eccleſiæ membris, inprimis rudioribus, ſitum; cujus utriuſque neceſſitas a nemine ignorabitur; Etenim quod attinet ad  
con-

conciones nominatas, uberrimam ansam hæ ipsæ exhibent doctoribus, ordine, breviter & ad praxin accommodate exponendi salutares veritates. Abstineant propterea ab omni prolixiori commentatione ac declamatione, ut tanto melius intellectum rudiorum vera cognitione instruere atque memoriæ eorum sublevare possint; quod acroamatico & aphoristico fieri debet modo, atque summam repetendo rerum momenta. In ipso autem examine catechetico, dialogisticam tantum valere formam, omniaque momenta in concione pertractata resumenda esse, breviter iterum explicanda, & si male fuerint ab auditoribus intellecta, corrigenda e. s. p. vel nobis tacentibus patet. Cæterum discrimen faciatur inter rudiores & proveciores, plebejos & honestiores, ne hos examinando calumnia quædam aut offensio ab alterutra parte suppeditetur.

2) *Publicæ catechisationes* statis temporibus quoque per diversa contubernia domestica quotannis habentur, eo consilio, ut practica fides christiana indies augmenta capiat ac confirmetur. In quam enim barbariem morum, ab ethnicismo laud multum abhorrentem, multi Christianorum cœtum non ruerent, nisi fidelissimæ agerentur excubite annuæ, quarum immensum usum nemo nisi stultus in dubium vocabit. Certum quidem est, has catechisationes non posse syste-

Systematico quodam institui ordine aut omnibus membris aequè prodesse; interim tamen suo minime carere debent ordine, singulis in articulis exponendis posito. Atque quum diversus sit diversorum doctorum mos haec sui muneris partes exantlandi, nonnulla observare juvabit monita, ad harmoniam tendentia.  $\alpha$ ) Laudamus morem, a nonnullis receptum, separatim a ceteris Ecclesiae civibus examinandi juniores, qui Sacrae coenae nondum participes facti sunt. Liberos enim captui quævis institutio, provecioribus propria, accommodari non potest, neque in iisdem penitus omnes subsistere possunt capitibus doctrinae. Liberis notitia litterarum & prima religionis elementa memoriter cognoscenda, maturioribus vero ætate, plura incumbunt.  $\beta$ ) Operam dabimus, ut præcipua religionis capita, licet non eodem tenore systematico, percurramus auditorum in usum.  $\gamma$ ) Non sufficit quæstiones proponere ex catechismo, sed variare & explicare easdem juvabit; Abstinentium tamen a diffusa commentatione.  $\delta$ ) Ut initium faciendum est a precibus & brevi exhortatione, ita post institutum examen speciale, quoque generale quoddam omnibus attemperatum, atque practica religionis fiat applicatio.  $\epsilon$ ) In externis observetur ordo, decencia, modestia, frugalitas, ne in contemptum vertatur religiosus hic actus.  $\zeta$ ) Utilissimum quoque dignissimumque morem,

in-

inquirendi in progressus Christianorum, ad-  
optarunt nonnulli doctores circa *absolutionem*  
& Sacrae Cœnæ usum. Hæc vero examina  
catechetica non sunt ultra primarium suum  
scopum extendenda. Huc pertinent specia-  
tim articuli de peccato, lege Divina, Christo,  
ordine salutis, pœnitentia, fide, & admini-  
culis gratiæ. Cætera sunt ad aliud tempus  
differenda. Quod si vero contigerit, ut negli-  
gentiores in litteris videantur nonnulli Do-  
minicam Cœnam appetentes, præstat priva-  
tim eos docere, quam aliorum exponere con-  
tentui. Severitatem qui prudens cum tene-  
ro animi affectu conjunxerit, omne certe  
tulit punctum. De catechizationibus *Visita-  
toriiis* idem quoque valebit.

§. 5. Pædagogicum autem negotium u-  
niversum non posse commode aduiltrari,  
nisi in diversas clases distingvantur audito-  
res, dudum animadverterunt peritiores; Scho-  
las ergo & collegia discentium pro ætatis  
aut facultatum animi indole definitos in or-  
dines dispescuerunt & privati & publici an-  
tistites. Prima scilicet Classis pueros ad X.  
circiter annum, 2da juvenes XV annorum,  
3a maturiores complecti poterit. Incipien-  
tibus tradantur litterarum & religionis ele-  
menta, adultioribus uberior, ceteris plenior  
doctrinæ informatio. Nec negari potest,  
bene quoque consultum iri plebis universæ  
institutioni, si per gradus ita ab una ad ali-  
am



am procederent rudiores informationis anfa. Verum enim vero, licet infuper haud negandum fit, fcholas fic diâtas catecheticas ordinarias majores eodem constitui poffe ac debere modo, cave tamen credas, eandem præfcribi formulam regulamve omnibus poffe catechetice institutis, in quibus Paftoralis verliatur cura. Satis quippe eft, attentum dirigere animum ad difcentium diverfa ingenia, pro fuo modo ac tempore informanda, quam externum quendam & mechanicum inferre velle ordinem. Etenim quanto plus indulgere folent homines ritualibus atque minutulis externis curandis formis, tanto feignius viliusque interna curant nec ad medullam ipfam pertingunt.

---

CAP. V.

*De Methodo Catechifandi, ejusque forma.*

§. 1. Generaliffimis de materia & fcopo catechifandi prælibatis rerum momentis, facile dijudicare valebimus, qualis ejus efle debeat tum forma externa tum ratio univerfa. Formam vulgo triplicem adoptarunt, *dialogificam, acroamaticam, & mixtam*, quarum *prima*, erotematica, quidem fe maxime

me commendat, quia captui ac usui rudiorum egregie conveniat, *aphoristica & acroamatica* profectionibus tantum, qui nexum rerumcernere possunt accommodata est; *mixta* autem omnes implet partes, atque naturam ipsam sibi faventem habet. (conf. LANGE *Katech. Magaz.*) Educatio enim omnis satis mechanica foret, si quaestionibus & responsionibus aut acroamaticis pralectionibus unice contineretur. Prudentis autem est praceptoris, ita rem suis discipulis, sive narratiunculis & praecipis, sive quaestionibus proponere, ut memoriam eorum & intellectum non modo adjuvare, verum etiam ad praxin perducere possit. Sola ergo erotemata, qua utebatur Socrates, quamque nostrates tantopere extollere laudibus ac imitari solent, forma minime semper valebit, quia plus concertationis & aemulationis quam institutionis, plus ludi quam gravitatis speciem habere videatur. Neque ironia Socratica, licet in humanis rebus quodammodo ferri possit, in religiosa re unquam tolerabitur. (De his bene judicat SCHMID *Katech. bandb.* P. I. p. 195. sq.) Longe potiori igitur jure mixtam commendamus institutionis methodum, qua utebatur Christus in instituendis discipulis suis ac auditoribus. Jam enim simplici sed sublimi spiritu ipsis proposuit res longe gravissimas, jam dialogo pertentabat, quomodo mentem ejus aut rem quamlibet